

DUNBAR (John)

EPIGRAMMATON DECADES VI (266 vers)

IOANNIS DUNBARI MEGALO-BRITANNI EPIGRAMMATON DECADES VI

AD NOBILISSIMUM, NOBILIS ORDINIS AUREAE PERISCELIDIS EQUITEM,

D. GEORGIUM VILLARS,

IACOBO REGI AB INTIMIS CUBICULIS, ET MAGISTRUM EQUITUM etc.

EPIGRAMMATON DECAS I

AD GEORGIUM VILLARS, EQUITEM etc.

D1_01 v.1 Inclyte, nobilium et claro sate sanguine patrum,
 2 cui pariter virtus famaue juncta nitent,
 3 quae pauca aspirant nostrae hic tibi flamina Musae,
 4 o, precor, haec velis sint bene grata tuis.

AD EUNDEM

D1_02 v.1 Laudentur qui laude egeant ; satis hoc tibi laudis,
 2 quod te pro meritis rex Iacobus amet.

IN SCIOPPIUM

D1_03 v.1 Esse asinos omnes cum vis, sic, nonne, Scioppi,
 2 teque asinum et papam vis, parasite, tuum ?

IN IESUITAS

D1_04 v.1 Iesuitas vosmet ipsos dicitis,
 2 sed Loyolitas vos decet vocarier.
 3 Nam non Iesus vos dedit, sed Loyola.

IN EOSDEM

D1_05 v.1 Iesuitas haud ego vos dicerem,
 2 Iebuisitas rectius vocaverim.
 3 Iesuitae sed tamen si dicier
 4 desideratis, vos ita dicamini
 5 Iesuitae quo quod estis vos magis
 6 A Christo Iesu itis remoti eo magis.
 7 An scire vultis quo ? Malam magnam in crucem.

IN THOMAM CORIATUM AB ODCOMBIA

D1_06 v.1 Fare age, dic, hospes totum famose per orbem,
 2 qui fit, sic cunctis undique notus eas ?
 3 Pelle ovis est, sit notus onos ex auribus, anser
 4 ex strepitu, ex corio tu, Coriate, tuo.

AD STEPHANUM BALDWINUM RUPELLANUM IURISCONSULTUM

D1_07 v.1 Ut locus est doctis, sic est, Baldwine, modestis,
 2 atque erit in libris tempus in omne meis.
 3 Tu Themidos cum sis artes edoctus ad unguem,
 4 te beet et pleno docta Minerva sinu,
 5 doctrinaeque tuae veneranda modestia certet,
 6 in te peccarem ni memorare velim.

IN PANTALEONTA, DE VITA THEODORI BEZAE

D1_08 v.1 Putride Pantaleon, Papalis scurra culinae,
 2 gutture cui foedo dogmata falsa crepant,
 3 quid tibi cum Beza est, homo mendacissime, vita ?
 4 Non est Romanae bestia Beza scholae.

DE CONSTANTIAE FOEMINAE, AD LECTOREM

D1_09 v.1 Cogito quid quaeris, quando nil cogito ? Nempe
 2 de feminae constantia.

DE BEDA DICTUS VENERABILIS

D1_10 v.1 Non divi aut sancti titulo, venerabilis olim
 2 nomine sed dictus Beda Britannus erat :
 3 quo sancti insani, quo divi daemones aevo
 4 dici ceperunt, scilicet ille fuit.

DECAS II

AD IACOBUM REGEM

D2_01 v.1 Bel, Babel, Babylon periit, ceciditque, ruitque,
2 a Daniele, Deo, Marte, Iacobe, tuo.

AD EUNDEM

D2_02 v.1 Marte triumphatis horrendo Roma Britannis
2 Caesaris invicti jactitet arma sui :
3 arte triumphanda jam magna Britannia, Roma
4 fert te ad sidereas, rex Iacobe, domos.
5 Cujus major honos ? Tuus est an Caesaris ? Ille
6 armatus, sed tu victor inermis eris.

AD GEORGIUM VILLARS, EQUITEM etc.

D2_03 v.1 Qui fuit Augusto Maecenas, ipse et idem
2 cum jam sis domino, vir generose, tuo,
3 asta, insta, persta : felicibus utere fati,
4 te Maro fautorem sic habeatque suum.

IN FUGITIVUM

D2_04 v.1 Dum, fugitive, fugis, vicinas curris ad aedes.
2 Dic mihi qui furor est, ne capiare, capi ?

AD LABERIUM

D2_05 v.1 Libros scribere posse te disertos
2 affirmas, Laberi. Quid ergo non vis ?
3 Libros scribere qui potest disertos
4 non dicat, Laberi, putabo posse.

AD VIRETUM

D2_06 v.1 Dic, nam scire velim cur tu dicare Viretus ?
2 Hincne est quod vireas semper in ore virum ?

AD PETRUM MARTYREM

D2_07 v.1 Martyres a clara meruerunt morte vocari,
2 te vero ut martyr sis tua vita facit.

DE CANE AB ANNA REGINA FORTUITO INTEREMPTA PRO CERVA

D2_08 v.1 Quod telum in cervam Dia-Anna volatile misit,
2 hoc cervam ut sequitur, considit icta canis.
3 Quis fleat ? Hac illi deceptae gloria dextrae
4 major : credo canem sic voluisse mori.

AD PETRUM MOLYNAEUM DOCTOREM THEOLOGIAE PARISIIS

D2_09 v.1 Doctrinae, Molynaee, decus, facundior alter
2 quo non, qua Galli sceptrum verenda virent,
3 sic hostes Christi imminuis, tundis, teris, occas,
4 ut jam sis molitor, qui Molynaeus eras.

AD EUNDEM

D2_10 v.1 Haec mola sejungit puram de farre farinam,
2 nempe reformatam, Papicolumque fidem.

DECAS III

DE TRIDENTO OPPIDO IN RHOETIA ET FLUVIO IN ANGLIA, VULGO TRENTE

D3_01 v.1 Sic habet Anglia suum ceu Rhoetia terra Tridentum :
2 Anglia habet flumen, Rhoetia at oppidulum.
3 In Christum hic blasphema fides quam papa coegit,
4 viribus Anglorum paene retorta ruit :
5 nempe erat in fatis, ut quam tenet Anglia, Tridenta
6 contra, Tridentinam diluat unda fidem.

ALITER IN GRATIAM TOBIAE MATHAEI,
SUB CUIUS ARCHIEPISCOPATU EST HIC FLUVIUS

D3_02 v.1 Vera fides Christi quondam est foedata Tridenti,
2 jamque Tridentinis purificatur aquis.

AD PAPAM

D3_03 v.1 Permittunt reges humana evolvere scripta,
 2 tu non vis homines scripta videre Dei.
 3 Strictius humanis sed ais divina regenda ;
 4 hoc non est regere, papa, sed est tegere.

ALIUD, AD EUNDEM

D3_04 v.1 Papa, quid exspectas ? Pastoris scipio tantum est :
 2 nil scepra in regum Martia juris habes.

DE ARTE MERCANDI, AD IOANNEM WALLEM, L. M. LONDINENSEM

D3_05 v.1 Arte est mercandi nulla ars praestantior : omnes
 2 sic mercatores sunt, ut et esse volunt.
 3 Hinc res mercari summi dicuntur et imi,
 4 sed bene mercari, laus erit ista tibi.

AD BULLINGERUM THEOLOGUM

D3_06 v.1 Magna quidem in magnum movisti proelia papam.
 2 Non Bullingerum, te voco Belligerum.

IN MOECHUM

D3_07 v.1 Conjuge cum socii cubat, et communia dicit,
 2 quod sint amicorum omnia.

DE MEDICO ET PRAEDICATORE QUODAM ITALO

D3_08 v.1 Hic prior : "O", inquit, sis salvus, Medice", at ille :
 2 "Et, praedicator, sis quoque salvus," ait.
 3 Atque ita dum regerit, ridens hoc addidit, "I, nunc
 4 quod (cupis atque) mihi, mysta, resume tibi."

IN HISTRIONEM

D3_09 v.1 Scis cur frequenti congregata publice
 2 plebe ad theatrum veneras tandem, histrio ?
 3 Ideone tantum veneras ut nil agas ?

AD WITAKERUM, THEOLOGUM CANTABRIGIENSEM

D3_10 v.1 Cordibus in caecis hominum quod lumina vitae
 2 promoveas, vita quam bene "κηρός" eris !

DECAS IV

AD GEORGIUM VILLARS EQUITEM AUREAE PERISCCELIDIS etc.

D4_01 v.1 Non ego sum dives, decimas non solvere possum.
2 Dent alii decimas, hic tibi do decadas.

ITER AD COELUM

D4_02 v.1 Ad caelum qui carpis iter, tibi sit via pura
2 vita, preces passus, gratia sancta gradus.

IN PAPISTAS

D4_03 v.1 Papistae ut approbent suas ineptias,
2 sacris neglectis literis, semper solent
3 vafri citare testimonia et locos
4 ex patribus, praesertim at ex Gelasio,
5 ridiculi enim ipsi, ut quae citant ridicula, fiunt.

AD VADIANUM THEOLOGUM

D4_04 v.1 Vadat ad infernam (si vult) papista paludem.
2 Ad nostros vades tu, Vadiane, lares.

AD HENRICUMWAL-LIS THEOLOGUM S. S.

D4_05 v.1 Athleta o invicte Dei, fatale videtur
2 hoc, nulla hoc misero pax quidem in orbe tibi.
3 Lis cos virtutis medio tibi namque resurgit,
4 non solet ignavis quae comes esse viris.
5 Anglicus at murus, tibi sed quoque aheneus anteit,
6 qui stet contra hostes optima vita tuos.

DE URSINI THEOLOGI CATECHISMO

D4_06 v.1 Ut sacrae fidei documenta incognita vulgo
2 colligat ex sacris, implicitisque locis,
3 et vigilat, videt, et vertit, scribitque legitque,
4 num vere Ursinus dicitur iste labor ?

AD IOANNEM DAVUM

D4_07 v.1 Dave, tibi nullus veteri pro stemmate certet,

2 Est centies quintus D-avus.

DE MARNIXI TABULIS DIFFERENTIARUM

D4_08 v.1 Quam vivas quondam tabulas depinxit Apelles,
 2 Marnixus vivas tam dedit inde suas.
 3 Pro tabulis summa est amborum gloria ; scortum
 4 pinxerat hic papae, pinxerat ille Paphi.

DE MARNIXO ET MORNAEIO

D4_09 v.1 Papam Marnixus, Papam Mornaenius urget :
 2 serius hic mordet, mordicat ille joco.

IN BOETICUM

D4_10 v.1 Quam bene te novi. Nam sunt tibi, Boetice, semper
 2 aurigerique pedes, lanigerumque caput.

DECAS V

DE LYCA CUPIDINIS FICTIO

D5_01 v.1 Torserat e pharetra telum letale Cupido,
 2 exstinxitque suae lumina clara Lycae.
 3 Id Venus ut vidit, miseram miserata puellam
 4 venerat, atque oculos praestitit ipsa suos.
 5 Illa autem exclamat : "Sodes me tangere posthac :
 6 hos si vis oculos laedere, laede tuos."

AD IACOBUM MARCHIONEM HAMILTONIAE etc.

D5_02 v.1 Vidisti Romam, vidit te turbida Roma,
 2 deterior vestrum neuter at inde fuit.
 3 Mens tam sancta tibi est, corrumpi ut nescia, et illa
 4 tam nequam est ut non nequior esse queat.

DE EADEM ROMA, QUA INVERSA FIT AMOR

D5_03 v.1 Nulli inversus amor fuerit nisi brutus amatur,
 2 Roma amor est versus. Quis nisi brutus amet ?

DE RELIGIONE REFORMATA

D5_04 v.1 Non prima exesum scabra rubigine ferrum
 2 lima polit, forti ducta reducta manu.
 3 Sic neque relligio caecis inclusa tenebris,
 4 mente acri primum versa, reversa nitet.
 5 Ante Hussum Valdus, dein Calvinumque Lutherus,
 6 et demum sacras Beza repandit opes.

DE SUA E. WALLE

D5_05 v.1 Montibus incelsis alii sua gaudia ponant,
 2 nil curo. Est cordi Vallis amoena mihi.

AD IACOBUM PORTAEUM THEOLOGUM

D5_06 v.1 Quod si amissa foret, Portaeae, scientia rerum,
 2 haec posset studiis esse remissa tuis :
 3 nil quicquam est in quo non sic versaris, ut ipsas
 4 possis Aonias ipse docere deas.

IN CALVIONEM

D5_07 v.1 Nostis cur nullos habeat jam Calvio crines ?
 2 Est crines Glaucæ quod dedit ille suae.

LINDANI PAPISTAE LIBER DE HAERETICIS TITULO DUBITANTII

D5_08 v.1 Lindani haereticos liber hic dum continet omnes,
 2 in qua parte libri sit, petis, ipse sui ?
 3 Nulla equidem pars certa datur. Cur ? Maximus ipse
 4 haereticus toto cernitur ille libro.

IN EUNDEM

D5_09 v.1 Est tuus hic, Lindane, liber Dubitantius, esto.
 2 Nil quicquam est de quo non dubitare queas.

AD ILLYRICUM THEOLOGUM

D5_10 v.1 Nec lyra te fallit, nec te papistica Siren.
 2 Hinc est quod recte diceris Illyricus.

DECAS VI

IN PORCULUM MONACHUM

D6_01 v.1 Porcule, te genuit monachus, genuitque sacerdos,
 2 te genuit bubo, te genuitque asinus.
 3 Quatuor ergo, duos homines, duos brutaque patres
 4 unus habes. Monstrum es sic meretrice satum.
 5 Quin potius fateare unum tibi, Porcule, patrem ?
 6 Hi sunt uno omnes corpore nam monachus.

DOWALI A GARTHLANDIA DOMINI EPITAPHIUM

D6_02 v.1 Candida Dowali Gallis decessit in oris,
 2 qua melior superas vix videt umbra domos.
 3 Hunc lugere nefas, nec enim periisse putamus.
 4 Vivit qua potius vivere parte velit.

DE ANTONIO WALLE, L.

D6_03 v.1 Wallis bis denos vix dum vene viderat annos,
 2 bis terrae extremos vidit et ille situs.
 3 Viderat infames scopulos resonantibus undis
 4 Oceani immensum tollere in astra caput.
 5 Haec si tanta ausus juvenis vidisse, quid ultra
 6 audebit quam vir, quam sit et ante senex ?

AD CHRISTOPHORUM HERRAIS EQUITEM etc.

D6_04 v.1 Herrais, imo heros potius, vel Xenius alter
 2 cum sis hospitio, vir generose, tuo,
 3 Alcinoi mensas habeat sibi solus Ulysses,
 4 dum mihi Christophoras detur adire dapes.

DE IACOBI MAXVELI SPECULO GRATIAE ET GLORIAE,
MEMORIAE SACRATISSIMAE MARIAE REGINAE SCOTORUM CONSECRATO

D6_05 v.1 Quid Speculi hoc, et cur Mariae sacratur ? An hinc quod
 2 gratiae ei nomen, gloria detque suum ?
 3 Certe : nam in terris Mariae sic gratia luxit
 4 ut nunc inc caelis gloria tota micet.
 5 Distat at hoc aliis Speculum : manus unica in illis,
 6 et mens laudanda hic, et manus artificis.

IN DIVITEM QUENDAM AVARUM

D6_06 v.1 Si quicumque malos amat et mala, sit malus iste,
 2 qui bona, quique bonos tunc amat, anne bonus ?
 3 Sed bona dives amat. Nonne est bonus ergo ? Negamus.

4 Qui bonus est, solos diligat ille bonos.

IN EUNDEM ALITER

D6_07 v.1 Si bona quisquis amat bonus est, tunc optimus ipse es.
2 Te bona nam melius, divite, nullus amat.

AD IACOBUM REGEM

D6_08 v.1 Scripsit Alexandri cum gesta ingentia magni
2 Choerilus, hac factum condicione ferunt,
3 aptos quot faceret versus, tot ut aurea ferret,
4 quotque malos faceret, tot colaphosque ferat.
5 Alter Alexander sis, o mihi maxime regum.
6 Si tibi non alius, Choerilus alter erit.

AD GEORGIUM VILLARS EQUITEM AUREAE PERISCELIDIS etc.

D6_09 v.1 Dum certant faciant favor an fortuna priorem
2 te, merces meriti venit et ampla tui,
3 Juppiter at Britonum, "Frustra contenditis," inquit,
4 "postremae primus sit, volo, jure locus."

EPILOGUS AD LECTOREM

D6_10 v.1 Incipe (nil refert) vel et hic quoque desine, lector.
2 Nomine sunt verso finit et inquit idem.

APPENDIX

DE OCULIS ISABELLAE ABRENETHAEAE, ADAMI ABRENETHAEI FILIAE IONSTONUS

A_01 v.1 Obstupui nuper, dea, te nascente, novaque
2 luce meos oculos detinuere tui.
3 Eoas primum rebar me cernere gemmas,
4 mox sunt visa mihi sidera missa polo.
5 Error utrumque fuit : non urunt corpora gemmae,
6 et magis obtusum sidera lumen habent.
7 Hos oculos, quibus una omnes urisque ferisque,

8 te sibi ait Veneris surripuisse puer.

DUMBARUS

A_02 v.1 Sed caecus cum sit Veneris puer iste Cupido,
2 illi, dic, oculos quomodo surripias ?

IONSTONUS

3 Est puer hic caecus, verum hunc infantula caecum,
4 surreptis oculis, Abrenethaea dedit.

DUMBARUS

5 Abrenethaea dedit caecum ? Cum lumine cassus
6 sit natus, caecum qua ratione dedit ?

IONSTONUS

7 Quod tibi finxisti natum sine lumine numen,
8 censeri nullo crimine talpa potest.

DUMBARUS

9 Tu mage ridiculum numen tibi fingere tentas,
10 cui sunt mortali lumina adempta manu.

IONSTONUS

11 Mortalis non est, oculis quae orbavit Amorem,
12 sed dea, nata deis et paritura deos.

DUMBARUS

13 Illa dea est, aut nata deis pariturave divos,
14 luminibus dicis quam spoliare deos ?

IONSTONUS

15 Luminibus deus iste suis non indiget. Illi
16 sufficiunt casses, vincula, tela, faces.

DUMBARUS

17 Istis, quae numeras, fateor, deus aliger armis
18 Militat, ast oculi sunt in amore duces.

IONSTONUS

19 Primus honos oculis merito debetur, at ista
20 arma puellari sunt magis apta gregi.

DUMBARUS

21 Femineos ergo cur non dea sumpsit ocellos,

22 apta puellari si petit arma choro ?

IONSTONUS

23 Obtulit infanti sua lumina mater Amorum,
24 sed puduit castam lumina ferre lupae.

DUMBARUS

25 Cur oculos illi praeberet Cypria mater ?
26 An tua capta oculis an dea lusca fuit ?

IONSTONUS

27 Nec fuit orba oculis, nec lusca, sed urere flammis
28 cuncta timens oculos occulit illa suos.

DUMBARUS

29 Si clades hominum metuens abscondit ocellos,
30 cur non abscondit colla, labella, genas ?

IONSTONUS

31 Hoc quoque fecisset, sed prudens virgo timebat,
32 desereret terras ne fugitivus Amor.

DUMBARUS

33 Nil refert : discedat Amor, terrasque relinquat.
34 Quod deus hic orbi praestitit, illa dabit.

IONSTONUS

35 Non bene militiam Veneris commiseris uni,
36 nec serere hanc pugnam femina sola potest.

DUMBARUS

37 Sed cui diva oculos et luminis abstulit usum,
38 militiae hanc sociam ferre recuset Amor.

IONSTONUS

39 Ne sua fortassis sentiret damna Cupido,
40 cor puero et sociis abstulit illa deis.

DUMBARUS

41 Abrenethaea vale, metuo ne exercita furtis
42 me mihi tu, Musis surripiasque meis.

IONSTONUS

43 Jure, poeta, times. Cui non metuenda potestas,
44 quae facit excordes, exoculatque deos ?

DUMBARUS

45 Sat pugnae, Jonstone, datum est. In foedere dextras
46 jam societ, pugnae quae dea causa fuit.

IONSTONUS

47 En dextram, et si quid praedatrix virgo reliquit
48 Jonstono, hoc totum, Dumbare, cordis habe.